


BIBLIOTEKA  
INSTYTUT  
HISTORII  
SZTUKI

  
948331  
BIBLIOTEKA  
UNIV. JAGIELL.  
CRACOVENSIS  
Mag. St. Dr. IV






948331 IV  
Mag. St. Dr.



patm 10469.

10363







Dzielo to w Imieniu W. Jędrza Szaryta w Taborkach (na Białej Rusi)  
którem Prof. Szepkowiennemu do jego zbioru pogrzebowych pamiątek  
rodzin królewskich Polskich.

Kont. Gnedniechi

w Maju 1879







PARENTALIA  
IN ANNIVERSARIO FUNERE  
MARIÆ CLEMENTINÆ  
MAGNÆ BRITANNIÆ &c.  
REGINÆ

H A B I T A

In Aula maxima Collegii Urbani

C O R A M

S A C R O C O L L E G I O

*Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD.*

S. R. E. C A R D I N A L I U M

7 U S S U

S A C R Æ C O N G R E G A T I O N I S

D E P R O P A G A N D A F I D E

A U C T O R E

PHILIPPO D'AZON ROMANO

In eodem Collegio Eloquentiæ Professore.



ROMÆ, MDCCXXXVI.

Typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

SUPERIORUM FACULTATE.

GABINET ARCHEOL. UNIW. JAGIELL.  
KOLEKCJA PRZEZDZIECKICH

(Ze zbiorów Prof. Józefa Łepkowskiego.)

Ex Bibliotheca Tabolensi

A;

1819



IN ANTIQVARIATV MUSEO  
MARIE CLEMENSINE  
MAGNE BRITANNIE SC  
RUSINE  
IN ANTIQVARIATV MUSEO  
MAGNE BRITANNIE SC  
RUSINE  
IN ANTIQVARIATV MUSEO  
MAGNE BRITANNIE SC  
RUSINE  
IN ANTIQVARIATV MUSEO  
MAGNE BRITANNIE SC  
RUSINE




948331  
IV

St. Dr. 2017. D. 9/13 (21)





# ORATIO.



TRATUS hic parietum squallor,  
 hoc Urbis veluti justitium, triste  
 hoc vestrum omnium silentium,  
 atque hæc funebri, regioque or-  
 natu notissima Imago, in quam,  
 CARDINALES AMPLISSIMI, non sine  
 lacrymis intuemini, satis in men-  
 tem eum revocant diem, in quo,  
 recurrente nunc potissimum anno,

MARIA CLEMENTINA, MAGNÆ BRITANNIÆ  
 REGINA, immatura morte prærepta est. O diem doloris  
 plenum & luctus! O annum tanti vulneris memoria  
 in omnem posteritatem acerbissimum! O mortem nulla  
 fatis comploratione dolendam! Itane igitur tot, tantif-  
 que Italiæ, imo Europæ universæ calamitatibus, illud  
 etiam ad augendam temporum acerbicatem accessit, ut  
 nobis Poloniæ decus, Romæ gloria, Religionis lumen,  
 & virtutum omnium exemplar spectatissimum inopi-  
 no fato raperetur? Lugete virgines & matronæ, luge-  
 te orphani & viduæ, civium omnium ordines sine in-  
 termissione lugete. Digna est omnium lacrymis mor-  
 tua, quæ viva omnium lacrymas abstergebat, facta  
 omnium



omnium & solatium, & mater. Nulla tanta est doloris significatio, quæ non ei debeatur, a qua dolentes semper recreabamur, & quam casus omnes nostros longe magis, quam suos, dum vixit, doluisse compertum est. Nos vero, qui vulneris hujus vim præ ceteris sensimus, & non sentire modo, sed testari quoque tenemur, quo lacrymarum genere justa **MARIÆ CLEMENTINÆ** funeri persolvemus? Qua laudum prædicatione huic Religionis (dixerim) Vindici parentabimus? Quid primum loquar, quid ultimum? Quid prius mirer, quid posterius? Quid in ea magis celebrandum existimem, in qua omnia sunt maxima? Vereor, **EMINENTISSIMI PRINCIPES**, ne vestram decipiam expectationem, & ne, si quæ magna dixerim, vos longe majora cogitetis, aut si multa dicendo commemoraverim, vos plura desideretis. Sed quoniam de **MARIA CLEMENTINA** nemo satis est pro dignitate dicturus, dicam utcumque, **PATRES EMINENTISSIMI**, atque illud dicam, quod & in omnium ore versatur, & vos ipsi soletis crebris usurpare sermonibus. Tanta scilicet in morte **MARIÆ CLEMENTINÆ** fuit in hac Urbe de illa in omnibus sanctitatis opinio, tantus plausus & prædicatione, ut, quod ei publicus dolor, & **CLEMENTIS XII.** Pontificis vere **Opt. & Max.** munificentia funus ornavit, non tam funus fuerit, quam triumphus magnificentissimus. Hoc præcipuum a vobis dicitur, hoc a me quoque dicetur, atque hoc ego unum tot in ea, tantarumque ostendam argumentum esse virtutum, ut aliud fortasse majus esse non possit.

Et profecto quam varia sunt multitudinis judicia? Quam difficile neminem offendere? Quam arduum probare se omnibus? Quam rarum ad acceptissimam hanc opinionem accedere solius commendatione virtutis? Percurrite obsecro, **EMINENTISSIMI PRINCIPES**, sapientissima vestræ mentis acie non modo recentia, sed vetustissima quævis tempora; ex innumeris hominibus,

vir-



virtutum omnium genere præstantissimis, vix unum, aut alterum invenietis, quem summus omnium consensus semper probaverit, cujus integritatis fama major in dies, splendidiorque emicuerit, & in cujus morte præsertim nullus fuerit omnino, qui vitam ejus laudabiliter actam ne tacito quidem dente momorderit. Ego enim sic existimo, tria semper ubique terrarum esse hominum genera: vitiorum alios inimicissimos, amicissimosque virtutis; alios laudare quidem virtutem, sed interim in vitia dilabi; alios demum non modo in cœno & caligine jacere vitiorum, sed ita suis tenebris inhærere, ut virtutis lucem ægris oculis ferre non valeant. Hi profecto tam nequam naturæ sunt atque improbæ, ut neminem asserant in toto, qua late patet, orbe terrarum spectatæ virtutis hominem reperiri; & ad instar eorum, qui vitra colorata oculis adhibentes, colorata omnia conspiciunt, quibus ipsi vitiorum sordibus obruuntur, iisdem vel probatissimos quosque viros inquinatos esse opinentur. Nihil in terris per eos integrum, nihil sanctum; & si virtus ipsa de Cælo quodammodo laberetur, umbratilem dixerint esse virtutis speciem, at non virtutem.

Quam novum igitur, quam incredibile, quam pene divinum virtutis genus id esse dicendum est, quod non primi tantum & alterius, sed tertii quoque generis homines, latratores & mordacissimos, in obsequium trahat atque admirationem? Magnum quiddam profecto est, PATRES AMPLISSIMI, a laudato viro laudari, & summa consensione probari ab iis, qui probatissimi judicantur; suo enim judice tunc virtus æstimatur, amplissimumque fructum a tanti ponderis testificatione consequitur. At novum non est, neque mirum, quod, qui virtutem colunt, virtutem laudent, sectatoresque virtutis. Simile suum sibi simile appetit, & qui eadem, ac nos, natura & moribus præditi sunt, eos facile diligimus & probamus. Illud, illud admirabile, inauditum



tum, ac prorsus inusitatum est, virtutem scilicet a suis ipsius hostibus diligi, & a suis ipsius hostibus laudibus summis efferri. Quisquis hanc laudis metam attingit, ut non divitiarum, non honorum, non auctoritatis, non amplitudinis, sed sola meritorum suffragatione apud ipsos virtutis hostes laudatissimus sit, is dignissimus profecto est, qui non modo cum summis viris comparetur, sed Cælitibus etiam ipsis simillimus habeatur.

Jam vero quæ poterit virtuti **MARIÆ CLEMENTINÆ** par oratio inveniri? Hæc non solum viros omnes & amplitudinis, & sapientiæ, & probitatis, & sanctimoniæ laude spectatissimos in admirationem usque excitavit, sed ab iis quoque venerationem est consecuta, qui rudes omnino atque ignari pietatis, nomen ipsum virtutis aut ignorant, aut contemnunt. Hanc in Urbe Roma insolito quodam spectaculo post longa temporum intervalla probari ab omnibus & vidimus, & audivimus. Huic Fama, Gloria, & Invidia ipsa, jam non amplius invida famulari quodammodo visa est, & in hac novimus mira omnium (ne uno quidem, aut altero excepto) acclamatione & plausu triumphasse virtutem. Quod ne magnificentius a me, quam verius dictum esse videatur, revocate in mentem, **AMPLISSIMI CARDINALES**, cum eos dies, in quibus **MARIA CLEMENTINA** nobiscum versabatur, tum quoque illos, in quibus acerbissimo, diutinoque morbo correpta est, & in quibus, matura jam Cælo ex hoc mortalitatis teatro in æternitatem demigravit. Gratulabamur nostris temporibus esse in hac Urbe Reginam, virtutum omnium consensione singularem atque admirabilem; utque gaudium nostrum cum incredibile benevolentia conjunctum palam identidem testemur, aderamus frequentes non raro, cum domo illa non alia de causa prodibat, nisi ut vel sacras ædes inviseret, vel ægrotantibus ea impertiretur charitatis officia, quæ matris esse potius, quam augustæ foeminae  
vide-



5  
viderentur. Defigebamus avidi in ejus vultu oculos, ipsam quodammodo contemplaturi sub humana specie modestiam; atque, ut paucis complectar omnia, intuebamur illam non sicut aliquam ex nostra mortalitate concretam, sed ex ipsis Cæli sedibus ad nos delapsam: hinc nihil optabamus magis, nisi ut diu apud nos maneret tam raræ, tam inauditæ, tam cælestis virtutis exemplar. Ubi primum igitur in ipso viridioris ætatis flore laborare eam accepimus tam difficili periculosaque valetudine, ut victa a morbi vi cum natura, tum arte, nihil superesset amplius de mortali ipsius vita sperandum: quanta, Deus bone, fuit subito in omnium hominum ordinibus consternatio? Quantus in vobis omnibus, PURPURATI PRINCIPES, mœror? Quantus in Beatissimo CLEMENTE XII. dolor? Quæ totius Urbis lacrymæ & comploratio? Dolebant orphani, lugebant pauperes, lamentabantur ægroti, matrem, solatium, levamen suum amittere; atque omnes in MARIA CLEMENTINA vivum quoddam & pietatis speculum, & sanctitatis exemplar, & Religionis lumen extingui lacrymis & singultibus querebantur. Ac licet ad futuras belli clades omnis Italia tunc præsertim temporis contremisceret, omniaque armorum strepitu circumundique personarent; nihil tamen per eos dies de communi nos salute & periculo cogitantes, in unam MARIAM CLEMENTINAM oculos, mentem, & cogitationes omnes converteramus: de hac una in aulis principum, in privatorum domibus, in omnibus Urbis locis invicem quærebatam solliciti: pro hac una turmatim in omnibus pene Urbis templis assiduas ad Deum preces tot lacrymis, tanto ardore, tantaque spe effundebamus, ut vel divinitus eam restituendam nobis & conservandam confideremus. Sed o spes fallaces! o incerta hominum vota! Festinabat illa ad æternæ felicitatis præmium, & cui nullus esset par honos in terris, non erat cur diutius negaretur in Cælo. Ergo postquam



multiplicis diutissimique morbi vim acerbissimam tanta cum animi constantia toleraverat, ut vel ipsa doloris acerbitate ac diuturnitate lætaretur; postquam omnibus ea pietatis exempla tribuerat, quæ naturæ humanæ terminos supergredi viderentur; postquam, uno verbo, bonum certamen certaverat, cursum consummaverat, fidem servaverat, & consummata licet in brevi, multa tamen tempora expleverat; ad repositam sibi Justitiæ coronam, quam repromisit Dominus diligentibus se, in Cælum, ut jure meritoque confidimus, evolavit: tot tantisque comitata virtutibus; ut quemadmodum eam omnes ab ipso statim rationis diluculo illustraverant, & omnes deinde in toto vitæ curriculo majori semper in dies luce ad occasum usque insigniverant, ita omnes splendidius solito in extremo illo vitæ certamine decumbentis lecto interfuerint, omnes ægrotanti interfuerint, omnes morientem composuerint, omnes mortuam deflexerint, omnes denique ex mortalitate ad immortalitatem suis pene humeris reportaverint.

Tunc vero, fractis omnibus illius modestiæ repagulis, qua illa, dum vixit, nos tamquam vinctos frænatosque tenuerat, ne publicas in acclamationes descenderemus, clamare palam, prædicare virtutes, referre omnem antea actam vitam, concurrere ad regias ædes, complere forum, circumire palatium, orare adytum, & beatissimum sese putare, quisquis aut in eum locum receptus esset, ubi corpus ejus asservabatur, aut particulam aliquam ex iis vestibis impetrasset, quas **MARIA CLEMENTINA** seu vivens, seu moriens adhibuisset. Doleo, **PATRES AMPLISSIMI**, adeo mihi angustum temporis spatium fuisse definitum, ut nec pictores illos imitari fas sit, qui, dum ingentem aliquam hominum multitudinem in exigua tabella coloribus debent exprimere, cum omnes ex integro pingere ibi non liceat, id ineunt consilii, ut nonnullorum tantum ora, vultus, & corpus totum designent, reliquorum vero,  
occul-



occultato corpore, vix manum, pedem, aut summa capita ostendant. Tot enim, tanta, ac tam innumerabilia sunt **MARIÆ CLEMENTINÆ** sanctissima atque æternis dignissima laudibus facta, ut si vel pauca delibare solum & attingere aggrederemur, difficillimum foret orationis exitum invenire. Paucissima hæc igitur, quæ generatim & præcipitanter quodammodo dicimus, aut potius absorbemus, quanta sint, maturius, obsecro, vobiscum ipsi considerate.

Et primo diem illum, quo **MARIÆ CLEMENTINÆ** corpus, ex Basilica duodecim Apostolorum in Vaticanum templum translatum est, recordamini. Quam nobile, Deus Immortalis, quam augustum, quam singulare, quam a sæculis omnibus inauditum diei fuit illius in hac Urbe spectaculum! Certum omnibus atque exploratum est, nunquam alias Romam gloriosius, quam in eo funere triumphasse. Neque hic me, **PATRES EMINENTISSIMI**, multum commovet aut regia illa funeris pompa, quæ tanta cum laude, omniumque prædicatione & regii decoris majestatem, & Pontificis benevolentiam, liberalitatem, ac magnitudinem referebat; aut infinita pene illa, quæ concurrerat, omnium ætatum, omnium ordinum, omnis generis multitudo, ita ut ipsi septem colles, ipsa Urbis mœnia tanto interesse spectaculo viderentur: magna hæc sunt, non inficior, sed nondum omnem superant admirationem; sunt rara, sed non singularia; sunt maxima atque inusitata, sed communia tamen cum aliis. Admirabile, singulare, unicum illud est, quod in tanto civium, in tanto exterarum gentium concursu nemo unus esset, qui ad corporis illius adspectum non animo commoveretur, non erubesceret, non lacrymaretur, non inflammaretur ad virtutem, impietatem non perhorresceret, non sese Deo per **MARIÆ CLEMENTINÆ** merita commendaret. Hoc plane unius **MARIÆ CLEMENTINÆ** adeo proprium est, ut neminem,



aut paucissimos sui similes habeat; adeo gloriosum, ut omnium ætatum admirationem mereatur; adeo denique rarum, ut exclamare non dubitem, Romanorum Cæsarum, & veterum omnium Imperatorum triumphos cum hoc uno non lugubri, sed triumphali potius spectaculo, nec splendore, nec magnitudine, nec majestate, nec gloria posse conferri. Ostendent alii, per me licet, in triumphalibus illis pompis pugnas innumerabiles, victorias incredibiles, provincias subditas, subacta imperia, domitas gentes, catenatos reges, spolia, munera, currus, monumenta, arcus, obeliscos, & quævis alia romanæ potentiæ, romanique fastus insignia: solas ego illas lacrymas, quas ad aspectum corporis **MARIÆ CLEMENTINÆ** non doloris vis, non mali impendentis metus, non amissi spes lucri, sed sola opinio, & æstimatio virtutis ab omnium oculis extraxit & cordibus; solas eas, inquam, lacrymas triumphum esse omnium arbitror gloriosissimum. Illa enim, de quibus diximus, bellica trophæa & ornamenta, plerumque a casu, has autem lacrymas a consilio, illa a fuso sanguine & stragibus, has a pietate & virtute, illa non raro a populari assentatione, has non nisi a sincera voluntate emanasse certo scimus; illa demum ea victa fuisse ostendunt, quæ naturam habent & conditionem, ut vinci possint; hæ hominum mentes, animum, voluntatem, quæ nec ferro, nec viribus debilitari, vincique potest, sola virtutis admiratione expugnata esse demonstrant.

Quod si quis leve hoc putet ac parum, videat, ne peregrinus fortasse atque hospes in hoc orbis terræ domicilio judicetur. Ecquis enim tam rudis est rerum æstimator, qui nesciat quam grande, quam sublime, quam supra hominis virtutem positum sit, in hac Urbe ab omnibus sola meritorum commendatione probari? Hæc illa est Roma, a qua vel in ipso sole, prope dicam, labes discernuntur, quæ non tam virtute, quam virtutis perfectione movetur, & in qua cum præstantissima semper

&



& maxima in rerum omnium genere visa sint, non nisi maximum in rebus omnibus & præstantissimum consideratur. Hic prout in Oceano non solum magna, sed maxima quævis flumina confunduntur, nomenque perdunt; hic vix infans, ac tenuissimæ stella magnitudinis quodammodo reputatur, quisquis alibi veluti sol, & quoddam virtutis culmen habetur; hic denique a nemine improbari inauditum, placere pluribus inusitatum, laudari ab omnibus divinum est. Et erit igitur quisquam, qui tantam hanc omnium omnino in hac Urbe de **MARIÆ CLEMENTINÆ** sanctitate consensionem nescio quid plusquam mortale non fateatur? Unde in omnibus subita illa & insolita cordis motio? Unde illi teneriores animi sensus? Unde cadentes illæ ex improvviso lacrymæ? Unde tanti illi ad pietatem stimuli, & tanta criminum detestatio, quam ad intuitum ejus corporis, in se quisque sentiebat? Hæc nonnisi divinitus contingere potuisse nemo non videt: ut amici enim, & inimici virtutis de admirabili **MARIÆ CLEMENTINÆ** pietate omnes idem sentirent & prædicarent, id solum ab illo effici potuit, qui, ut Augustini utar verbis, inclinandorum habet cordium omnipotentissimam potestatem.


Hæc autem ipsa non populi, sed Dei ipsius vox, ac testimonium, nonne satis, superque declarat, **MARIAM CLEMENTINAM** in omni christiana- rum virtutum genere heroicum, quem dicunt, gradum non attigisse modo, sed propemodum superasse? Injuria fieret, **EMINENTISSIMI PRINCIPES**, sublimi sapientiæ vestræ, ac tantæ Reginae virtutibus, si singulas oratione persequi vellem. Satis enim causæ magnitudo dignoscitur ex amplitudine eorum, quæ consequuntur: satis constat ex tam incredibili omnium in hac Urbe de ipsius sanctitate consensu, & prædicatione, pietatem, ac Religionis cultum, juvandi proximi studium, constantiam in adversis, æquanimittatem in prosperis, vitæ seve-



severitatem, animi demissionem, prudentiam, mansuetudinem, innocentiam, virtutes omnes tantas esse in hac una, quantæ in reliquis omnibus nostrorum, & quampluribus etiam antiquorum temporum sanctissimis foeminis, quas aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt. Quamquam quid eis ego plura commemoro, qui de re certissima nihil dubitant? qui hæc omnia suis ipsi & viderunt oculis, & animo tenent? qui tot semper, ac tam præclara de **MARIA CLEMENTINA** judicia fecerunt? Vos, vos appello, **PATRES AMPLISSIMI**, Principes ejus Senatus, quo nullus est sanctior, aut excelsior in terris; de vestri hic loquor consensione judicii gravissimi & maximi: vos **MARIAM CLEMENTINAM** vivum quoddam sanctitatis exemplar prædicabatis; vos nuncupabatis illam christiani hominis speculum, & ideam; vos virtutis ejus fastigium altius esse humanis obtutibus fassi estis; & hac ipsa hodierna celebritate quid aliud ostenditis, nisi quod non minor a vobis captus est dolor ex ejus morte, quam ex ejus virtutibus admiratio? Te vero, **CLEMENS BEATIS-SIME**, cujus voluntate & beneficentia tantus **MARIÆ CLEMENTINÆ** decretus est honor, ut illustrius effulserit quodammodo in funere, quam effulsisset in folio, & qui publica illa mentis tuæ significatione palam demonstraisti non modo eam fuisse tibi semper acceptissimam, sed, quod caput est orationis meæ, suis tantummodo meritis commendatam, quibus laudibus efferam? qua vi vocis, qua gravitate verborum consilium & sapientiam tuam extollam? Præclarum est tibi, quod tua præsertim ætate, tuisque, dixerim, auspiciis tanta **MARIÆ CLEMENTINÆ** virtus creverit & maturuerit: præclarius, quod alta quadam dissimulatione, dum viveret, ei locum dederis, ut tota in lucem educeretur atque appareret: præclarissimum, quod post exactum ejus vitæ curriculum imperaveris, ut iis illa efferretur honoribus, qui Urbi atque Orbi ostende-  
rent



rent universo eam fuisse semper non tam debito sibi regno, quam sua virtute Reginam. Primum enim felicitati, alterum prudentiæ, tertium sapientiæ tuæ singulari debemus. Ex quo dubitare non potes, quin & immortalium rerum tuarum fama majorum ad instar fluminum nova semper accessione augeatur, & quam apud homines tot ac tantis (debitæ tamen) æstimationis ac benevolentia significationibus extulisti, eandem apud Deum tuorum beneficiorum memorem & gratissimam sentias. Tibi autem, ad quem nostra tandem sese convertit oratio, **JACOBE REX** invictissime, (hoc enim nomine tua te virtus exornat, qua te ipsum, obstupescente Europa, & catholica Religione triumphante vicisti) dolendumne putem, an potius lætandum? Profecto, si tantæ Conjugis orbitatem spectes, dolendum; at si, quæ ad nos, quæ ad te, quæ ad eam ipsam **MARIAM CLEMENTINAM** gloria pervenerit, attenta cogitatione consideres, nobis, tibi, & ipsi **MARIÆ CLEMENTINÆ** lætandum. Nobis, quod incredibile ex ejus sanctissima vita & morte Apostolicæ Romanæ Sedi decus accesserit. Tibi, quod unus ex omnibus plane hominibus habitus fueris Conjuge tanta dignissimus. **MARIÆ CLEMENTINÆ** vero, quod a summo Principe, ab amplissimis Patribus, a maxima Urbe publicam, singularem, inauditam virtutis suæ testificationem acceperit.



CAR-





## C A R M E N .

**T**ristia lugubris depone insignia pompæ,  
 Roma dolens; rursusque hilari nitidissima cultu,  
 Cinge triumphales festo diademate crines.

CLEMENTINA tui justissima causa doloris,  
 Quamquam immaturò præcepta est funere terris,  
 Vivit adhuc, regnatque potens jam reddita Cælo.  
 Tanto illam divina Themis super astra triumpho  
 Extulit, æternaque dedit gaudere corona.

Ægra laborabat paulatim absorpta tenaci  
 CLEMENTINA febris; lacrymasque precesque dolentis  
 Quis fando referat populi, queis jugiter omnes  
 Orabat Superos, cumulans altaria votis?  
 Unius a vita reliquorum vita salusque  
 Stare videbatur: cura hæc erat omnibus una,  
 Omnibus unus amor. Sed ineluctabile fatum  
 Est Mortis: non illa hominum vocesque laboresque  
 Audit, & indocilis flecti, falce omnia sternit.

CLEMENTINAM igitur quoque fato involvere eodem,  
 Nil genus, aut virides annos miserata, parabat.

Non tulit hoc, fuerat cui maxima CLEMENTINÆ  
 Semper cura & amor primævæ ætatis ab annis,  
 Religio; at supplex æterno Numine coram  
 Constitit, atque imo dedit has è pectore voces.



O Pater, o Terræ, Cælique æterna Potestas,  
 Cujus ab arbitrio pendet mors, vitæque pendet,  
 Fatorumque ordo mortalibus omnibus; ergo  
 CLEMENTINA, meum decus, & mea gloria, per quam  
 Aurea jam rediit priscis virtutibus ætas,  
 Dedidicere suos corruptaque sæcula mores,  
 Occiderit, vitæque sucæ melioribus annis  
 Morte diem claudat? Nec te, Pater optime, tangit  
 Tantus amor, tantusque dolor, tantæque precantum  
 Et lacrymæ, & voces? Viden, ut sua brachia supplex  
 Ad te protendens ipso cum Principe Roma  
 Hanc sibi servari clamat? Quis dignior unquam  
 Aut clamor fuit, aut clamantis gratia? Roma est  
 Arbitra per te terrarum, & Cæli arbitra; in illa  
 Me, Pater, æternam voluisti figere sedem.  
 Scilicet innumeros, qui Religionis honorem  
 Deturpant late in terris, revocantque nefando  
 Exemplo a pietate animos, das vivere, seros  
 Et spectare dies, longosque senescere in annos;  
 CLEMENTINA, sui quæ solo lumine vultus  
 Ad Cælum Sontes rapit, æternoque decore  
 Meque, meosque omnes effert, florentibus annis  
 Funere rapta cadet, viduamque reliquerit Urbem?  
 Non ita, vota movent si te, lacrymæque, precesque,  
 Si qua, Pater, tibi cura mei est, si digna precamur;  
 Da redeat sperata salus, da sospes in annos  
 Vivat, & adspiciat senium, serosque nepotes.

Hæc ait, & lacrymis supplex orabat obortis  
 Religio. Assensisse omnes extemplo putares  
 Cælicolas; fuit in toto sic plausus Olympo.  
 At divina Themis, studiis ardentibus acta,  
 Assurgens contra, valido sic ore profatur.

O Pater, immensum si te dare jura per orbem  
 Æqua decet, meritis si debita præmia reddis,  
 Quin CLEMENTINAM tua ferri ad sidera mandas?  
 Quin merita donas illam, æternaque corona?

C

Hanc



Hanc tu legitime, memini, certantibus olim  
 Pollicitus, Pater, es. Numquid mutabile Numen?  
 Divinae num versa retro sententia menti?  
 Legitime CLEMENTINAM certasse, vel ipsa  
 Religio fassa est. Cur ergo denegat olli  
 Debita dona? Satis num praemia digna putarit  
 Sollicita humanae, casuraque gaudia vitae?  
 Ah! pudet hanc fingi mercedem in Numine; Caelum  
 Caelum, sed fallor, merces est non nisi Numen  
 Numine digna satis. Non raro at Sontibus ultro  
 Tempora vivendi tribuuntur longa. Quid inde?  
 Aut ideo vivunt, ut convertantur; in annos  
 Aut ideo vitam Sontes, & tempora ducunt,  
 Ut per eos sceleris puri, & caelestia semper  
 Qui curant homines, aurum velut igne, probentur.  
 Humani mensura aevi non ducitur annis,  
 Sed virtute; diu vixit, quisquis bene vixit.  
 Roma dolet, supplexque rogat: doleatque, rogetque.  
 Non aequus dolor est, qui debita praemia Justis  
 Invidet. At virtutum exemplar tollitur; esto:  
 Virtutum sed restat adhuc ter grande JACOBUS  
 Exemplar, restatque Pater, Natique supersunt.  
 Hi decus, & splendor maneat pietatis: ab istis  
 Religio capiet magnum satis incrementum.  
 Ergo Justitiae sanctum ac memorabile nomen  
 Si semper fuit in Caelo, Terraque, Ereboque,  
 Divinae si fixa manent oracula mentis,  
 Nec tibi versa, Pater, retro est sententia; reddam  
 Debita fac Justis in Caelo dona, coronam  
 Fac CLEMENTINAE meritis, Pater, aequa rependam.  
 Annuit Omnipotens. Plausu Caelum omne secundo  
 Gestit, & laevum intonuit; crinitaque flammis  
 Nobilius solito risit sub nubibus Iris.



Moritura Filiis pia monita, & benedictionem  
impertitur.

E L E G I A.

**N**ati, dulcis amor, mea, Nati, blanda voluptas,  
Deliciumque animi, dimidiumque mei;  
Cernitis? En fragilis breviantur tempora vitæ,  
Sola sepulchralis restat & urna mihi.  
En quo jam tandem miseri convertimur omnes:  
Pulveris exigui jactus & umbra sumus.  
Nil me sceptrâ juvant: virides nil corporis artus,  
Nil quidquid splendens aula decoris habet.  
Sceptrâ cadunt, tituli pereunt, viridisque juventa:  
Omnia mors legi subjicit atra suæ.  
Humanis igitur, Nati, ne fidite rebus:  
Nil spes humanæ, quo recreemur, habent.  
Nascimur in lacrymis, lacrymabile ducimus ævum,  
Clauditur & lacrymis ultima nostra dies.  
Humanas at opes si forte requiritis; illas  
Non nisi qui Cæli regna requirit, habet.  
Querite regna Dei; primum hæc quærentibus, ultro  
Humanæ vobis adjicientur opes.  
In solo spes firma Deo est: solum ille rogatus  
Plura dabit, quam spes ausa rogare fuit.  
Ille dat Imperium; Reges facit ille potentes  
Cum libet; & miseros, cum libet, ille facit.  
Ergo, Deo, Nati, confidite semper & illi  
Vivite; non illi vivere nempe mori est.  
Hoc moneo, hoc alta vobis sit mente repostum:  
Vive, HENRICE, Deo; CAROLE, vive Deo.  
Patris ad exemplum vestram traducite vitam,  
Primaque sit vobis cura, referre Patrem.  
Illum & tristantem, nimium & mea fata dolentem  
Lenite: oh quantum me dolor ejus agit!



*Me sua cura premit : quin ausim dicere , id unum est  
 In me , quod doleam , nempe quod ipse dolet .  
 Dixerat ; & postquam Natos ad pectora pressit ,  
 Ultimaque illacrymans oscula utrique dedit ;  
 Erigit ad Cælum dextram , & benedicit utrique :  
 Hoc satis , ut videam non nisi fausta sequi .*

Moritura Sponsum alloquitur .

E L E G I A .

**S**ponse vale : vocor ad Cælum . Me nulla merentem  
 Dona licet , dignam , qui vocat , ille facit .  
 Ille suo lavit mea crimina sanguine , & ille  
 Dat facilis veniam fonti , & ad astra vocat .  
 Non ita captivus patriam suspirat ademptam ,  
 Tollitur ad centrum non ita flamma suum ;  
 Ut caelestis ego patriæ succendor amore :  
 Ad centrum rapior scilicet ipsa meum .  
 Portus adest ; jam difficiles enavimus undas ,  
 Turbida jam fugiunt æquora ; portus adest .  
 At tibi longa via est , longum maris æquor arandum ,  
 Et vincenda atro multa procella mari .  
 Quid dubitas ? Iter absolves , maris æquor arabis ;  
 Disrumpetque tuam nulla procella ratem .  
 Victor eris ventorum , undarum , hyemisque , marisque ,  
 Et portum capiet salva carina suum .  
 Interea dura in duris , rebusque secundis  
 Te serva : melior nascitur ordo tibi .  
 Utque facis , Sobolis serva communis amorem ;  
 Sint & imago tui , sint & imago mei .  
 Non te contristet mea mors ; nil illa dolendum  
 ( Tanta est divinæ spes pietatis ) habet .  
 Ergo tolle animos , & si me diligis , & si  
 Est tibi cura mei , sit tibi cura tui .  
 Vive tibi , mihi vive , precor ; feliciter annos  
 Vive tuos , Conjux optime , vive meos .

Sed



*Sed jam deficio; jam deserit ægra loquentem  
Vis linguæ: vocor ad sidera; Sponse vale.*

17

E C L O G A.

Melibæus . Daphnis .

Melib. **D**aphni, quid insolito turbatus pectora luctu,  
Et tristi de corde trahens suspiria, campos,  
Lanigerumque pecus rediens ex Urbe, revisis?  
An quia Romulidum spectasti nuper honores,  
Magnificasque aulas, atque altæ mœnia Romæ,  
Hinc tibi nec patrii colles, nec rura probantur?

Daph. Tristitiæ causam si tu quoque noveris, & tu  
Tristis eris, tibi parque premet cor luctus. In omnem  
Quæ se divinis notam virtutibus Orbem  
Fecerat, & multo quam nuper carmine ad astra  
Tollebat Thyrsis gaudens, tollebat Amyntas,  
Anglorum Regina, inopino funere rapta est.

Melib. O nimium rigidi dura inclementia fati!  
Regina extincta est? At nuper ab Urbe reversus  
Narravit Lycidas magna inter gaudia cives  
Esse, quod immitis vis morbi cesserat: ipse  
Sæpius incolumem vidit considerare templis.

Daph. Audieras, & fama fuit tunc nuncia veri.  
Sed quoniam crebro morborum incertus & anceps  
Exitus est, cives spes intercepta sefellit.  
Vidi ego, cum pressi vendenda coagula lactis,  
Bisfenosque agnos Romam, totidemque capellas  
( Ut fieret gravis ære manus ) de more tulissem;  
Urbe palam tota turbatos stare Quirites,  
Et circum hac, illac lugubri tecta tumultu  
Misceri, ac tristes audiri murmure voces:  
Heu fatum! heu votis mors o nimis invida nostris!  
Religionis honos, decus Urbis, gloria Regis,  
CLEMENTINA, obiit. Fletus jam solvite, cives,  
Solve-



*Solvite, nec lacrymis modus, aut sit meta dolori.  
 Extincta est inopum Mater, nostrumque levamen:  
 Omnibus hæ voces, dolor hic erat omnibus unus.*

**Melib.** *Illud erat præter solitum, quod triste sonaret  
 Fistula, & infaustum quiddam portenderet axis.  
 Mirabar Cælo toties cecidisse sereno  
 Fulgura, & ignitum sub nocte ardere cometam.  
 Mirabar mæstas ad pascua læta capellas  
 Ire, nec arbusti teneras depascere frondes,  
 Plenaque jejunos stare ad præsepia tauros.  
 Extinctam mæstæ te, CLEMENTINA, capellæ,  
 Te tauri quoque senserunt; certisque vel ipsa  
 Sæpe tuam signis monuerunt sidera mortem.*

**Daph.** *Ille sed æterno fruitur jam Numine felix,  
 Sub pedibusque videt nubes, & sidera calcat.  
 Ah! nimium nobis magni te regia Cæli  
 Invidit, CLEMENTINA, atque hinc te abstulit, & te  
 Esse suam voluit, nosque hic sine honore reliquit.*

**Melib.** *Daphni, erras. Cælum divisit laudis honorem,  
 Et corpus nobis, animum sibi. Debita dudum  
 Olli erat hæc merces, tantis & gloria factis.*

**Daph.** *O quantum decus! o quantum splendebat in illa  
 Virtutum lumen! Fidei qui cultus, & ardor!  
 Qui sensus pietatis erat! demissio quanta,  
 Neglectusque sui, propriæque oblivio vitæ!  
 Sollicita in miseros quam largo munera censu  
 Profudit! Sola hac inopes, ægrosque juvandi  
 Cura, aliquando sui, facta omnibus omnia, regni  
 Suspirabat opes, sceptri nil cetera curans.  
 Sic mihi pene omnes memorabant nuper in Urbe  
 Mærentes cives, lacrymis atque ora rigabant.*

**Melib.** *O mihi quanta refers rerum miracula, Daphni!*

**Daph.** *Hactenus ex aliis quæ sunt mihi cognita; nunc quod  
 Hisce oculis egomet vidi tandem accipe: ab una  
 Virtutes omnes addiscito. In æde Minervæ  
 Quæ sacra virgineæ Matri est, orabat, anhelans  
 Cæle.*



*Cælestis quondam pasci libamine mensæ*

**CLEMENTINA:** *ingens virtutibus excita tantis  
Turba virum, matrumque aderat, defixaque in illam  
Lumina quisque tenens, motus atque ora notabat.*

*Illius in vultu fixisse Modestia sedem,  
Ipsaque visa Fides, Pietas visa ipsa. Superni  
Tantus erat Panis cultus, reverentia tanta.*

*Jamque moræ impatiens divinæ munera mensæ  
Sollicitabat amor; jam prompta est hostia, qua se  
Ipse Deus nobis donat: sacer ecce minister  
Velatum ostendit panis sub imagine Numen.*

*At dum Regina ætheream prope porrigit escam,  
Ecce tibi medios inter famulosque, virosque  
Nescio quis nostris de sylvis rusticus Alcon  
Ad sacram, famulis frustra obnitentibus, aram  
Accessit, cælique dapem patulo appetit ore.*

*Vix credas; famulos nutu Regina repressit,  
Et veluti non digna sacri libaminis esset,  
Pastori dat sponte locum, subitoque recedit.*

**Melib.** *O mirum pietatis opus! cohibere cadentes  
Vix possum lacrymas: adeo mea pectora, Daphni,  
Tam divina rapit virtus. Jam dicite laudes,  
Pastores, festoque novos date gutture cantus.*

**CLEMENTINA** *sibi fieri nunc talia mandat.*  
**Daph.** *Omnes certatim manibus date lilia plenis,  
Atque super cineres festivos spargite flores.*

**Melib.** *CLEMENTINA* *sibi fieri nunc talia mandat.*  
*Carpamus lætas lauros, carpamus olivas,  
Et tumulum lauro, tumulum decoremus oliva.*

**Daph.** *CLEMENTINA* *sibi fieri nunc talia mandat.*  
*Pleno festa decet testari gaudia plausu,  
Et mortis signare diem, & celebrare triumpho.*

**Melib.** *CLEMENTINA* *sibi fieri nunc talia mandat.*  
*Ite procul lacrymæ, tristes procul ite dolores,  
Dictaque ferali lugubria carmina cantu.*

**CLEMENTINA** *sibi fieri non talia mandat.*

**Daph.**



- Daph. *Ite procul myrti, nigræ procul ite cupressus,  
Sertaque de tilia, & ferrugineis hyacintis.  
CLEMENTINA sibi fieri non talia mandat.*
- Melib. *Illa Erebi victrix, victrix fastusque, sui que,  
Cælesti cingit victricia tempora sero,  
Et palmis, quas tanta tulit victoria, gaudet.*
- Daph. *Illa expers terræ, spoliataque corporis hujus  
Pondere, migravit felix ad sidera, felix  
Vivit, & æternos felix quoque vivet in annos.*
- Melib. *Ergo, tibi merito quæ confert præmia virtus,  
Excipe; respiciasque volens camposque, pecusque,  
Pastoresque: tuas celebramus carmine laudes.*
- Daph. *Ergo cape æthereum, terrenum quæ renuisti  
Regnum; respiciasque potens camposque, pecusque,  
Pastoresque: tuum celebramus carmine nomen.*
- Melib. *Dum tellus pecudes, dum Cælum sidera pascet,  
Semper honos, decorisque tui monumenta manebunt.*
- Daph. *Et dum flumen aquas, & habebit campus aristas,  
Semper amor, vitæque tuæ documenta manebunt,  
Fiet & in nostris major tua gloria campis.*

Tibris ad Vistulam, regale Poloniae  
Flumen,

### EPISTOLA.

**L**ittera, quam spectas, ab amico Tibride venit;  
Prima fronte parum, quo recreeris, habet.  
Est ater ceræ color, & lugubria signat:  
Charta madet lacrymis humida facta meis.  
At lege; lecta animum relevabit, nuncia luctus  
Sit licet illa mei, sit licet illa tui.  
Occidit (heu mortis facinus!) florentibus annis  
CLEMENTINA, tui gloria prima soli.  
Quid loquor, ab demens? Decus occidit Urbis, & Orbis.  
O quanta hoc unum funera funus habet!

Sed



Sed lætare tamen: tam duræ vulnera mortis  
 Nescio quid faustum, dum memorantur, habent.  
 Vivit adhuc, vivit Polonæ gloria Gentis  
 In CLEMENTINÆ funere, vivit adhuc.  
 Hæc extincta licet, priscis te laudibus ornat,  
 Atque tuum Cælo nomen, ut ante, feret.  
 Magna erat hac viva, fateor, Polonia: tanta  
 Sed nunquam, nisi sic occubisset, erat.  
 Non referam lacrymas, quarum torrentibus auctus,  
 Ter volui tumidas in mare tristis aquas;  
 Non dicam atratæ pompæ spectacula, visa est  
 Quæis majestatem vincere Roma suam;  
 Cæsareosque omnes longe superasse triumphos,  
 Ac veterum quævis magna trophæa Ducum;  
 Ast illud, quo non aliud præclarius ullum,  
 Nec potis est aliud rarius esse, loquar.  
 Sic doluere omnes in funere CLEMENTINÆ,  
 Ut nemo possit condoluisse magis.  
 Quisque sibi matrem, dominam sibi quisque peremptam  
 Ingemit esse: vetat dicere plura dolor.  
 Raro alias, projecta hasta cum casside, vidi  
 Romam tam laceris ingemuisse comis.  
 Olim Christinam, memini, sibi flevit ademptam,  
 Et Paulam flevit, flevit & Æmiliam,  
 Millenasque alias flevit, quas laudibus effert  
 Ad Cælum immodicis fama superstes adhuc.  
 Sed quid cum hac una reliquarum luctus & omnis  
 Aut dolor, aut mœror publicus Urbis habet?  
 Scilicet, in reliquis vidit quas omnibus olim  
 Divisas laudes, nomina, gesta, decus;  
 Omnia Roma videt collecta nitescere in una,  
 Omnia in hac una perdita Roma dolet.  
 Vix credas, sed vera loquor: sola illius ora,  
 Solaque vox, ejus corporis & species,  
 Angelicum quiddam, & plusquam mortale stupente  
 Spirabat populo; visaque lapsa Polo est.

D

Nam



Nam CLEMENTINAM quisquis stetit ante, recessit  
 Æquior obsequio, purior eloquio.  
 Sensit & intra animam virtutis serpere castos  
 Igniculos, mentem sensit ad alta trahi.  
 Et subito flagrans divino totus amore,  
 Dedititque homines, edidicitque Deum.  
 Ergo pone modum lacrymis, quin plaude triumphis  
 Ipse tuis, plaudo sicut & ipse meis.  
 Mortua CLEMENTINA est; sed nisi mortua, tantus  
 Nec mihi nunc esset, nec tibi laudis honos.  
 Scilicet in solio non tanta fuisset avito  
 CLEMENTINA, in eo funere quanta fuit.  
 At si tanta tibi, mihi tanta est gloria; Patri  
 Quantus ab hac una Prole futurus honos?  
 Gloria quanta datur, datur at quam maxima; solus  
 Ille potest merito dicere, tota mea est.  
 Hæc & plura, tibi tua quæ mens suggerit, olli  
 Nomine redde meo, Vistula amice, precor.  
 Ille dolet, meritoque dolet: solare dolentem;  
 Præcipua hæc studii sit tibi cura tui.  
 Scribere plura libet, sapienti at scribimus; ergo  
 Scribere debemus non nisi pauca; vale.

### E P I T A P H I U M.

Grandis AVO & PATRE, major CONJUGE, maxima factis  
 CLEMENTINA suis clauditur hoc tumulo.

### A L I U D.

Perlege: in hac jacet Urna CLEMENTINA.... quid ultra?  
 Omnia ab hoc uno nomine, lector, habes.



Ad Serenissimum CAROLUM Walliæ Principem.

O D E.

**N**atura cum te, CAROLE, fingeret,  
 Se vicit ipsam, fudit & ultimas  
 Opes; in uno sic lepores  
 Te Puer cumulat omnes  
 Omnesque laudes. Quin animum & decus  
 Virile, sublime ingenium & capax,  
 Mentemque, roburque, & decorem  
 Ipsa tibi dare visa Virtus,  
 Mirata tantum posse. Iter arduum  
 Doctumque Pindi celsa super juga  
 Carpis peragrandum? Vel ipsum  
 Montis apollinei cacumen  
 Es visus ultro attingere. Ludicro  
 Tentanda parvus pulvere suscipis  
 Dux bella? Mars quidam videris  
 Consilioque potens & armis.  
 En Anglia olim, sub Proavis tuis  
 Quæ militavit, longe animosius  
 Nunc, te Duce, ardet præliari,  
 Inque tuis volitare signis.  
 Jamne ergo cessas? Eripe te moræ;  
 Regnumque, quod late uritur Anglicum,  
 Tuosque, qui diro premuntur  
 Servitio, releva Britannos.  
 Quæ ferta, Princeps, Gloria non parat,  
 Quas Astra palmas non tibi destinant,  
 Si quando, te nascente, Cælo  
 Emicuit \* nova stella, & Anglis

D ij

Fe-

---

\* Ipso Natali Principis die Sidus nitidissimum, quod nunquam alias, maxima cum admiratione totius Urbis in Cælis visum est.



*Felicitatem prodidit? Hoc brevi  
 Expectat a te Rex Pater, & suæ  
 Virtutis inspirare Nato  
 Magnanimos properavit ignes;  
 Idemque sperat Mater, & inferet  
 Vires ab alto vertice siderum,  
 Felix ubi regnat, triumphos  
 Unde tibi parat atque palmas.*

Ad Serenissimum HENRICUM Ducem  
 Eboracensem.

O D E .

**I***nfigne Patris, Fratris & inclyti,  
 HENRICE, lumen, famaue maxima,  
 Lætare; te Virtus adultum  
 Edidit, exposuitque. Sanctæ  
 De Matris ulnis candida te Fides  
 Fovit receptum: te Pietas sinu  
 Excepit, adpressis & ori  
 Uberibus, docet educatque.  
 Inde illa recti pectoris indoles,  
 Celsæque mentis nuncia frons dedit  
 Ex oris aspectu sereni  
 Magnum animæ indicium eminentis.  
 O quantus alto pectore conditur  
 Virtutis ardor! Nempe domestica  
 Exempla te impellunt, Patrique  
 Ut similis similisque Matri  
 Formeris, urgent. Sed mihi fervido  
 Videris ardens agmina ducere, &  
 Dextra triumphali rotare  
 Fulmineum indomitumque ferrum.*



*Videris oras nomen in ultimas  
 Virtute & armis ferre, superbiens  
 Septemplici qua Nilus ore,  
 Qua rapidus secat arua Tigris.  
 Cresce ergo Princeps, & pueritiam  
 Prætervolans, ad præmia gloriæ  
 Contende: jam major, clariorque es,  
 Quam ut tacita lateas in umbra.  
 Dum crescit ætas, dulcibus interim  
 Musis remittas te, Puer, & Patris  
 Magnæque virtutem Parentis  
 De teneris mediteris annis.*



*Dominicus Muratori inven. et del.*

*Hieronymus Rossi sculp.*

ELO-





ELOGIA,  
 QUIBUS PRÆCIPUÆ  
 MARIÆ CLEMENTINÆ  
 VIRTUTES

*Variis Collegii Urbani linguis breviter indicantur.*

Dies pene integros orans traducit  
 HEBRAICÆ.

תְּדַלִּיק הַמְּרִים אֵשׁ יוֹמָם בְּלִבָּהּ  
 שְׁתַּעֲלֶה חֲמִיד לְשָׂרֵי תְּפִלָּהּ  
 וְתִצָּא קְדוּשִׁים אֵשׁ מִן הַמִּזְבֵּחַ  
 וְתֹאכַל הַכֹּהֵן הָעוֹלָה זִבְחָהּ :

Orans nec pulvillo utitur, nec sedili.

GRÆCÆ.

Ἡρώνην βρότεον φορέεσσαν δέριον χρώτα,  
 Ἡνεκέως θαλυκρῆ διχομυλίω κραδίη.  
 Οὐ μάλα δὲ ἔραται, πνοιῆ περσέτρισα Θεοῖο,  
 Ἀβληχρὸν φύγει πᾶν πᾶν ἔρεισμα γένος.  
 Τοῖον ἄρ' ἀμβροσίῳ ἐπελείετο ἔργον ἔραται,  
 Οἴπωτε δὴ τὰ μέλη ἔξελεν ἐκ βαρέου.

Tanto



Ad quatuor & ultra horas immobilis coram  
divinissima Eucharistia diebus  
singulis perseverat.

A R A B I C E .

بكيت دماً يوم النوى فمشكته :  
بكفى فاحمرت بناني من دمي .  
وفارقت طيب العيش في فقدتها وما :  
طوفان نوح غير دمعى العندم .  
وصرت هلال الشك ولولا تاوهى :  
خفيت وعدت موقعا للتوهم .  
على فقد من قد جملت تاج ملكها :  
وكانت شمسا للظلام المقتم .  
تلك التى وصفت بفضل وحكمة :  
ونسك ينشر فضل بنت التنعم .  
واستغرقت في حبها نهورها :  
فاكرم محبوب وحباً من سمي .  
تهد به ليلاً وتغدو به ضامى :  
وتشمسى كما تغدو بذاك الترنم .  
وحيث يكون مزيجاً فوق مديح :  
تفاضر اليه كحبيب صب مغرم .  
كانه مغناطيسها جاذباً لها :  
وهي المعدن المنصوب ليس بجازم .  
وفي قربه يوم لديها كل لحظة :  
وساعة ابعاد كدهر مدغم .  
فهيهات احد مثلها عاد يمتثل :  
لخدمة مولاة ياكمل مراسم ٥



Tanto ardore orat ac fide, ut aliena  
a sensibus esse videatur.

S Y R I A C E.

ܡܳܐ ܘܳܝܳܫܳܘܳܒܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܥܳܠܳܡܳܐ ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ  
 ܳܕܳܠܳܗܳܘܳܐ ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ  
 ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ  
 ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ  
 ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ  
 ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ  
 ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ ܳܕܳܡܳܠܳܘܳܬܳܐ ܳܕܳܚܳܝܳܐ

In sacris ædibus cum ipsis etiam infimi ordinis  
mulierculis confundi gaudet:

A R M E N I C E.

**Մ** Ջրեամ ԼիղնեսնԹինս Թագուհի,  
 Ճշմարիտ հաւատոյ վկայի,  
 Եւ սա դուստր էր արգայի,  
 Հարսն ըստրեցեալ Թագաւորի,  
 Բրիժաննու յոյժ լիեհատար,  
 Թագաւորին էր սիրեցեալ:  
 Արդար վարուք էր փայլեցեալ,  
 Դործոյ սրբոց հետեւեցեալ,  
 Բարեաց խրատուց հաւանեցեալ,  
 Եկեղեցւոյ հաղանդեցեալ,  
 Տորժամ եկեղեցին գնայր,  
 Եւ ըսդ այլ ըռամիկսն խառնեալ կայր,  
 Ոչ խտրելով զիւր մեծուԹւին,  
 Այլ լիէր յոյժ խոնարհուԹին,  
 Հրօնայեցւոց յոյժ դովեցաւ,  
 Օրինակօք պսակեցաւ:



Filios diebus singulis verbo & exemplo  
ad pietatem inflamat.

CALDAICE.

ܘܢܝܢܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ  
ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ  
ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ  
ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ  
ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ  
ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ ܕܝܘܒܐ

Ægrotantibus adeo amanter inservit, ut officia  
quælibet, etsi viliora, non dedignetur.

COPTICE.

Ⲱⲏⲧⲓ ⲏⲉⲕⲥⲱⲟⲩⲏ ⲉⲉⲉⲟⲛ  
Ⲁⲥⲉⲣⲃⲱⲕⲓ ⲏ ⲟⲩⲟⲛ ⲛⲓⲃⲉⲛⲟⲛ  
Ⲱⲏⲧⲓ ⲑⲁⲣⲁ ⲏⲧⲉ  
ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲑⲉⲉⲁⲧ ⲧⲉ:  
ⲛⲉⲉⲉ ⲟⲩⲛⲉⲩⲧⲉ ⲉⲉ ⲉⲉⲧⲣⲉⲗⲟⲩⲉ  
Ⲑⲟⲩⲉⲣⲱⲟⲩⲟⲩⲟⲩ ⲟⲩⲑⲉⲃⲓⲟⲩ ⲏ ⲑⲏⲧⲟⲩⲉ.  
ⲛ ⲟⲩⲁⲩⲃ ⲛⲃⲉⲛ ⲏⲑⲟⲩⲟⲩ ⲏ ⲛⲉⲩⲱⲛⲓ ⲁⲉ ⲟⲛ  
ⲑⲉⲛ ⲛⲏ ⲉⲧⲑⲉⲃⲓⲛⲟⲩⲧⲉ ⲉⲉⲉⲁⲩⲱⲛ ⲏⲉⲩⲉⲉⲩⲱⲛ ⲟⲛ  
ⲑⲉⲛ ⲟⲩⲛⲉⲩⲧⲉ ⲉⲉⲛⲉⲉⲉⲓ ⲏ ⲱⲟⲩ  
ⲏ ⲟⲩⲉⲉⲧⲁⲩⲟⲩⲉ ⲁⲉ ⲁⲥⲩⲉⲉⲩⲱⲛ ⲉⲉ ⲉⲉⲱⲟⲩⲟⲩ.  
ⲑⲓⲛⲁ ⲉⲉ ⲛⲱⲛⲑⲓ ⲏⲉⲩⲉⲉⲉⲉⲟⲩ ⲉⲥⲁⲣⲉⲑ ⲉ ⲣⲟⲩⲩ  
Ⲱ ⲛⲉⲥⲱⲛⲑⲉⲃⲟⲗ ⲧⲉ ⲁⲥⲩⲱⲛ ⲉⲉ ⲉⲉⲟⲩⲩ.  
Ⲑⲟⲩⲟⲩ ⲑⲏ ⲉⲧⲁⲥⲁⲓⲁⲓ ⲉⲉ ⲛⲉⲩⲱⲛⲧⲉ ⲏⲧⲉ ⲛⲁⲣⲉⲧⲏ  
ⲉⲧⲉ ⲏ ⲏⲓⲣⲟⲩⲉⲛⲓ ⲏ ⲟⲩⲉⲉⲛⲱⲛⲁ ⲁⲥⲩⲱⲛⲓ ⲉⲧⲩⲏ  
ⲑⲟⲩⲧⲏ ⲁⲩⲉⲣⲑⲏⲧⲉ ⲟⲩⲁⲕⲉⲩ.  
Ⲁⲩⲩⲏⲕⲉⲃⲟⲗ ⲉⲉⲉⲏⲓ ⲕⲉ.

E

Pro-



Propriis manibus pannulos præparat, & linea filamenta  
expedit ad ægrotantium ulcera medicanda.

### T U R C I C E.

مریم کلمنتینه بادشاه زاده ایکن  
گندیسی میبارک دس دیملن  
تیمفدیک ایدریدی کتان بزندن  
واندی گندی سادارتیلن  
مکانی هاستالره کدریدی  
زیارت ایدوب هاستالری گندی قلبندن  
رحمه کلوب حسانت ایتمه ایلن  
واول کتان تیمفدیکینی جراهلره ورب  
کی سرستلر اول مسکینلر یاراسینه

Subuculas & vestes, propriis manibus futas,  
pauperibus distribuit.

### P O L O N I C E.

Meżney Heroiny szukasz?

Patrz na KLEMENTYNE.

Ta zaiſte rękę swo ſciongnela do pracy;

Albowiem ſceptrem wzgardziwszy,

Przonoſć, y ſzyć nie zaniedbała,

A wiele nad podziw odzienia ſporzondziwszy,

Zebrzoncych wnie odziewała,

A tak,

Rękę swo dýrygowala ku uboſtwu.

Więc ſtancie wkroku Synowie oney

A głoſcie tak wielko ſwiontobliwoſć

Wiele bowiem Corek ſię wzbogacilo,

Lecz ta

Wſzyſtke przewyższyla.

Qui-

*Legenda go  
hoy legiis  
Craus. Cap. ult.*



Quibus pudor est mendicare, eleemosynas  
clanculum elargitur.

## R U T H E N I C E .

СЛЫШИТЕ: ЛЮДНЕ, ВНИМАЙТЕ: ИЗЪЦН,  
"ЕЛНКО

НА'РІА КЛНМЕНТННА

ННЦІМЪ ВСѢМЪ ТЩАЛНКА БЫВАЕТЪ,

ДАБЫ

"ЕГДА НЕВѢСТЬ ДѢВЦА, ЧТО ТВОРИТЪ ДЕСНЦА,

ННЦЕТЪ, И СРАМОТЪ ВЪСПНТАА,

ИСТИННА "ЕВАНГЕЛІА НАСЛѢДНЦА

ТАБО

ИТРЪ ВСѢМЪ БЫТИ ЖЕЛАЕТЪ, А НЕ ЗРѢТИ.

Suis sese vestibus exuit, ut eis & pauperes induat,  
& ornet altaria.

## T E U T H O N I C E .

Was ist / worauff die Welt so stark ihre Augen wirfft!  
Was vor einen Tugend-schaz rühmt jez ein jedermann!  
Was wunder siehet man! was Lobens schall erklingen.

Ich sage die Demuth es ist.

Von weme höret mann des preissens werthe sachen;  
Wessens Leben ist nunmehr der ganzen Welt gegeben?  
Also daß Keiner ist / so nicht zu rühmen weiß.

Einer Königin es gilt.

Man sieht / verwundert auch: Kein Könichlicher Pracht  
Von Ihr vernommen wirdt; ein jeder erstaunet mehr /  
Wie das Gemüth so gar der Welt / und eitelen Ruhm  
Gute Nacht gesaget hat.

Solches aber nicht genug / viel grösseres Lob ist übrig  
Die Kleider so Sie trägt / wirfft sie gar schnell von Sich /  
Die Armenn ziehret sie mit selbigen ohne bitten.

Dieses gewiß grosse Demuth ist.

Die Göttliche Ehr / wie auch den Zierath seiner Kirchen  
Stets dencket das Gemüth; die Königlichen Kleider  
Die werden zu den Glanz der Altäre aufgeopfert.  
O' grosse Gottes Furcht!



Nurfino populo , a terræmotus ruinis in extremam  
rerum omnium inopiam redacto , ingentem  
pecuniæ vim subministrat.

## H U N G A R I C E .

Szeginyeknek annya  
Akar minymö elveszék népiben ,  
Sze szirasával  
Sze décsérettel fel nem magasztalhatik .  
Mely szeginyeknek szemit terülgette ilö ,  
Az szerencsiseknek orcsát nedvesiti halva .  
Aszt egyedül felüle Roma nehestelhethety ,  
Hogy nem adot tardandò vigasztalásokat  
Aky adot legy nagyobikat .  
A`menyektül rendeltetet  
Csintalan follo időnek pildanak ,  
Mely akarkinek vitkeit maga szerencsivel  
E's szorongatással megy jobitháthatta ,  
Mindent maga szerencsinek nyereszégét  
Mafzok nyomoruságoknak szegicfigre hitette .  
Besél Roma , Nursia Bifonies .

Adeo abhorret a fastu , ut quæ dignitate Principibus  
excellit , facilitate par infimis videatur .

## G E O R G I A N E .

შინიანმ ვლემენცინანმ სარვე იყო- სიწმიდო-ბი	სა.
მონწმუნე უფლის მკვანლი , ჳ დედო-ფანი იხვლიზი	სა.
რივიზი ქალი იყო- ჳ რბანი მან სრულბდლიდ კემწიფი	სა.
ვანანს თანკდბლო-ბითი დიდებან ამან- სო-ფლი	სა.

Nihil



Nihil de sua dignitate follicita, vestes adhibet cum intimas, tum extimas longo usu detritas.

SLAVONICE.

Ръчѣнъмъ ѣмъ, ѣмъ ѣмъ ѣмъ  
ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ

ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ ѣмъ

Tam demisse de se sentit, ut a nullo unquam coram laudari patiatur.

SUECE.

Efter arfwisunden/  
är med menniskian den wanan född /

Allt hwar och een känner wähl den andras feel /  
Män sällan dee syna :

Hwar och een smecklar sey sielfw /  
Och skrüter /

Och så lätt som man troor de andra lastwärdiga  
Så lätt håller man sey sielfw berömmelig .

Hennes Mayestet Waar den galensckapen fry /  
Drottningen afw. Engelland tückte så lytet om sey /

Allt hennes stoorä hiarta /  
Loogh till föracht /

Om nägen berömde hanna /

Och een annan skülle intet söcka med sådan flyt beröm /  
Säm Hennes Mayestet förstöttet /

Och undsluddet .

E iij

Nec



Nec ad Tusculanas delicias, nec ad Urbis  
amœnitates, aut alia quævis  
spectacula divertit.

MALABARICE.

אֶל־טוֹסְקוּלָנָאֵי דֵּלִיצִיאַתְּ  
וְאֶל־עִירֵי יְרוּשָׁלַיִם  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים

וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים

וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים

וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים

וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים

וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים  
וְאֶל־מִשְׁכָּנֵי הַמִּשְׁכָּנִים



Tam parco utitur cibo, ut ex virtute Divini Panis,  
quo piissime vescitur, divinitus vivere  
videatur.

G R Æ C E.

Σ Ερωῆς λεπτότατον κρείσσης γέινετο βεῖσμα,  
Ἡ' γὰγε καὶ σάσεως ἡμᾶρ Ἐπιχθονίης.  
Τίπτε δὲ τῆτ' ἐπέλεν; ὠκυκαλλὲς δῶρον ἐκείνη  
Γόρσωεν ἀτρεκέως ἄρτος ὁ θεῶεσιθ.  
Ἐ' μῶρεπε τῆ βίωτος θνητῶν πολὺ φέρτεροθ ἄλλων,  
Ἡ' περ μακροτέρη μὴ μελέτωσε βίη.

Præfervidam naturam ita virtute reprimat, ut quovis  
iræ motu compresso, semper hilari vultu  
verbisque mansuetissimis usa sit.

J L L Y R I C E.

**N** Edostojna Kojoi Silla  
Otè puke, i Vojske Suita,  
Dauh svoj Zarstuo ucinilla  
Jest gnoj Kripost plemenita.  
Pohotienstua ovde udavja  
J smucchiagnju daje reda,  
Ovde xeglie plahe ustavja,  
Ovde sebbi zapovieda.  
Ovde sarxbee oghneniti  
Plam, s' mudrostju ugafuje,  
Ovde Sarzu stanoviti.  
Zakon daje, i Uladuje.  
O' cestite dobitnize  
Slavna Kruna, Kragliasco dillo!  
Ghdije Rafum Sctap Kraglize,  
A' pristoglie Sarze millo.

Nemo



Nemo ad illam accessit, qui melior  
non ab illa discesserit.

## EPIROTICE.

UN ju thom, ò burra, ò gràa,  
T'arbenèsc Trima, e Vascia  
E' ju cogna t' mbzàa.  
Doni fis, doni fucchj  
Buc' rj e sceit' rj?  
Ghith im ba an, ghith icaa  
CLEMENTINA, erghianda Mar'  
Dò eẏeti t' jesc' mbjẏèe  
Cus' dò jee, i chrivar' l' auẏuar'  
Iscruar' me cach' loghièe?  
Pò a'fròu, pa vesètèe  
Se descirim mẏ cuur' s' chèe  
Psè m' ats cùs dò uchiàs  
Scium mẏ imir' andei ù pruar.

Mortem sibi ante annum prævidet, &  
prædicat.

## HOLLANDICE.

**M**En Verwondert Sigh dat CLEMENTINA  
Den dagh haarders doots voorfiet  
En voorfeght.

Het is wat wonders! dogh ik verwondere  
Myniet: want sekerlyck  
Jdts isser verholen, dat meerder wonders  
Baart.

Namentlyck haar leven  
T'welck is geweest voor jder  
Mensch  
Een gedurige berydinge voor de doot.



Acerbissima diutini morbi incommoda ad mortem  
usque constantissime tolerat.

TARTARICE

أروخن سيفات خناه سکنه بجا اولومغون نیمس :

منده میریم کلمنتینه

بولده یاتاخاه .

مجیک اولتورماخا بولور کیمسه سکملکاه

غوملاخسه اوسطه .

اه بیلیرخه ارو اوریناخ چکدکاه

یرغسه ساغ بولده اولاخ سفیلردان

یکنولده سکنه بیلرخه اولغن

اون غردان سکنه بیلردان مجیک اوزو بولغانده

اولاخ بولده .

SANCTISSIME MORITUR.

**H**Æc humanarum rerum conditio est,  
Ubi ad maturitatem pervenerint,  
Cito interire.

Eripit sese ex oculis perfecta virtus:  
Et quidquid

Pervenit ad summum, currit ad exitum.

Quid mirum igitur

Si **MARIA CLEMENTINA**

Tam florenti ætate moriatur?

Virtutum omnium fastigium attigit,

Adeoque

Vitæ maturitatem explevit.

At




At si  
 Moritur tempori, nascitur æternitati;  
 Nec aliter mori debet  
 Quæ semper vixit ut moritura,  
 Et quæ moriens,  
 Deum docuit timendum esse non mortem.  
 Habes igitur, lector,  
 Luctus argumentum, & gaudii;  
 Alterum mors, alterum virtus ministrat.  
 Sed cum  
 Alterum impediatur ab altero,  
 A dolore scilicet gaudium, a gaudio dolor;  
 Quod facere unum potes ac debes,  
**A MARIÆ CLEMENTINÆ**  
 Piissima vita, sanctissima morte,  
 Disce vivere,  
 Disce mori.




*Disignatus Muratori Inuo, et del.*

*Hieronymus Rossi Sculp.*






















500

1835	Azon Philippus' D	
Nr inw.	Autor	
	Parentalia in anni-	
Dział	Tytuł	
	versario funere Mariae..	
Znak miejsca	Data włączenia do biblioteki	
U w a g i:		

J.  
 cm. 1/A-M

Biblioteka Jagiellońska



stdr0023135



1835

I.  
27.2.

